



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XXXVII. De postulando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. VI.

## De Effectu Transactionis.

**P**rius effectus transactionis est, quod per illam libus motis & movendis finis imponatur, vel ne oriantur, impediatur. (ob bonum scilicet pacis, cui studere Republicæ & bono communi plurimum prodest) ita ut semel bonâ fide inita transactio, & legitimè celebrata, invitâ alterâ parte transigentium, refundi non possit, et si nova instrumenta faventia contra talem transactionem reperta essent, prout summitur ex *c. r. h. s.* neque ulli parti penitere concessum sit, etiam si contractus hic transactionis nondum expletus sit.

Secundus effectus est, quod quantumvis actionem civilem non pariat, si nudo pacto celebrata sit, neque rei traditione vel stipulatione &c. firmata sit, cum ex nudo pacto de jure Civili non detur actio, parit tamè exceptionem litis finitæ, quæ ante vel post litis contestationem opponi potest, ita ut, qui fuit in causâ principali unius partis litigantis advocatus, si hæc postmodum per transactionem patium finiatur, testis esse possit hujus transactionis, prout summitur ex *c. Ex litteris d. h. s.* neque impugnare possit eam tamquam irritam, qui Suasor Auctor, aut Mediator hujus transactionis fuit, quæ propriam suam turpitudinem talis allegaret.

## TITVLVS XXXVII.

## DE POSTULANDO.

## §. I.

*Quid sit Postulare, seu Advocare, quomodo Advocatus à Procuratore differat, & à quo constituantur Advocati?*

**P**ostulare latè loquendo aliud non est, quam suum vel alterius desiderium in judicio exponere apud eum, qui jurisdictioni præstet; propriè tamen & strictius loquendo postulare dicitur, qui in judicio partis præsentis advocatum agit, & hinc

qui consilium quidem dat in causâ aliqua, sive scripto hoc faciat sive verbo, aut partes inducit ad contractum, transactionem &c. faciendam, in judicio tamen parti non assistit præsens ipse, propriè postulare non dicitur, cum postulare hic sit idem quod advocare, advocare autem non dicitur, qui in judicio non assistit; unde qui ex lège, statuto, aut pacto prohibentur advocare, consilium tamen scripto, vel verbo gratis, vel pro mercede &c. extra judicialiter dare non prohibetur. Et quamvis Advocatorum & Procuratorum nomina

nomen sapius à vulgo confundatur, magna tamen inter utrosque est differentia; Advocatus enim propriè loquendo est, qui pro altero in iudicio præsentè, causam illius agit, patrocinium ac defensionem præstat; Procurator verò absentis litem prosequitur: teneretur etiam Procurator nomine mandati, si cum parte colludat; Advocatus verò non ex mandato conveniri potest, si rem malè agat, sed de prævaricatione; Procurator post litem contestationem fit Dominus litem, quoad illam instantiam, non autem Advocatus; Advocati Officium nobile est, publicum, honorificum, multis gaudens privilegiis, Procuratoris verò officium vile est, ac onerosum, &c.

Dare autem debet partibus litigantibus Advocatos, qui eorum patrocinium suscipiant, Iudex, coram quo litigatur, si tales Advocati à partibus petantur, vel etiam si non petant partes, miserabiles tamen sint, quæ faciliè à contrariâ parte opprimi possunt, ita ut salarium ex publico etiam Advocato numerandum sit, si Clientis pauper sit, prout de his omnibus statuunt etiam jura Civilia.

## §. II.

De iis, qui suo, vel alieno nomine postulare possunt, vel non possunt.

Dicto juris postulare prohibentur, qui minores sunt 17. annis ob iudicii infirmitatem; surdus, qui omnino non audit, & plures alij de jure Civili in certis aliquibus causis postulare prohibentur, de quibus Civilitatè. De jure Canonico Clerici in majoribus constituti, vel etiam in minoribus constituti Beneficiati tamen non possunt esse Advocati ad lites.

Compend. Pirhing.

c. 1 & 3. h. t. & in causis secularibus coram Iudice seculari, nisi vel propriam suam causam, vel Ecclesiæ suæ prosequantur, vel miserabiles personas defendant: quia prohibetur universim Clericis his ob dignitatem statûs, vel quòd ab Ecclesiâ sufficientem sustentationem habeant, immiscere se negotiis secularibus, & nocere non debeat Sacerdos, cujus est omnibus prodesse. Et hinc quamvis non Sacerdotes Clerici possint esse in causis etiam secularibus coram Iudice Ecclesiastico Advocati, prout ex relat. c. 1. à contrario sensu colligitur, & in causis Ecclesiasticis coram Iudice etiam seculari, Sacerdotes tamen neque in Tribunali Ecclesiastico Advocatos agere possunt, nisi suam, vel Ecclesiæ suæ causam agant, vel necessitas aliud exigat in casu conjunctarum vel miserabilium personarum, vel ipsius Clerici Sacerdotis, nullam aliunde sustentationem habentis. Quod ipsum Monachis etiam, & aliis Religiosis prohibitum est, ut patet ex c. Ex parte 2. h. t. Nisi utilitas Monasterij & Superioris mandatum sive licentia aliud jubeant.

## §. III.

De Officio, & obligatione Advocati, & effectu postulationis.

Officium Advocati est, ut merita causæ pandat, sive ut omnia, quæ ad causam clientis sui, sive de jure, sive de facto faciunt, in iudicio proponat, & ambigua facta, seu fines eorum dirimat, ab injuria, probris, & convitiis abstineat; lites ex industria non protrahat; nullam falsam legem instrumenta testes, &c. pro veris alleget; nec suscipiat causam injustam defendendam; nec dilationes non

Cc

necef-

Necessarias petat, &c. quæ omnia & plura alia ex diversis juribus probant Civiles & Theologi, qui videri possunt, apud quos etiam videre est, quid agere debeat Advocatus, qui bonâ fide putans causam esse justam, à principio in se suscepit, si lite durante injusta postmodum appareat illi;

& quando ad restitutionem aliquam faciendam teneatur Advocatus, si causam prodidit, aut ob infirmitatem perdidit, & quem effectum, aut quam pœnam secum trahat contra interdiciam postulationem advocare.

## TITULUS XXXVIII.

### DE PROCURATORIBUS.

#### §. I.

#### Quis sit Procurator, & quomplex?

**P**rocurator propriè dicitur, qui aliena negotia (tam judicialia quàm extrajudicialia) mandato Domini administrat, (per quod distinguitur à negotiorum gestore, qui sine mandato aliena negotia agit, & ut distinguitur à Tutore, Curatore, &c. qui non Mandato Domini sed publicæ Legis aut Magistratûs vel Testatoris voluntate administrant) ita ut tam pro Reo quàm pro Actore Procurator intervenire possit) quamvis qui pro Reo intervenit, magis propriè defensor dicatur) modo mandatum Domini habeat ad causæ aut negotij ipsi commissi administrationem. Sunt quidem aliqui, qui in definitione dicant, *gratis administrat*, quia Procuratoris officium gratuitum est *l. item 15. Cod. h. e.* hodie tamen etiam pro certo salario Procuratores constituuntur.

Est autem Procurator alius universalis, sive generalis, qui omnium negotiorum speciali mandato non indigentium, administrationem dicto modo habet, Alius

specialis est, cui certam aliquam litem, negotium, aut rem administrandam commisit Dominus: ille nonnunquam constituitur adjectâ clausulâ: *Cum liberâ*: hoc est cum plena potestate agendi omnia prout Dominus potest, præterquam quòd donare non possit: alius dicitur Procurator dicitur, constitui in rem alienam, non tantùm, ut aliena negotia et Mandato Domini agat, sed ut omnis utilitas negotij gesti alii etiam cedat: alius dicitur, consti tui in rem suam, ad aliam quidem negotia agenda, ita tamen ut ipsi Procuratori cedat utilitas negotij gesti, quod fit, quando, Dominus Procuratori suo cessit, aut vendidit jura sua & actiones, quo in casu actiones directæ contra Debitores semper manent penes cedentem, cujus offibus, ut jura loquuntur, inhaerent, utiles verò actiones transferuntur in cessionarium, &c. Alius denique Procurator constituitur ad lites & judicialia, & judicialis dicitur, alius ad alia negotia extrajudicialia administranda, & extrajudicialis dicitur, qui in quibus differant, vide apud Auctorem Methodi hinc